Frank

иванъ Лукьяновичъ
Hennessienne a son Ami Belaief

TENTAMEN
INAUGURALE MEDICUM
SUPER
CAUSA PROXIMA FEBRIUM
QUOD
PRÆSCRIPTIS EXAMINIBUS RITE PERSOLUTIS
PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS CONSEQUENDIS
IN
ALMA ACADEMIA ET UNIVERSITATE VILNENSI
SUB RECTORATU
ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI
MARTINI POCZOBUT
ASTRONOMI REGII &c. &c.
EQVITIS ORDINIS DIVI STANISLAI MARTYRIS
PUBLICæ DISQUISITIONI SUBMITTIT
ESAI JACOBUS FRANK
Berlino Brandenburgiensis
ANNO 1793. MENSE JANUAR: DIE





VILNÆ IN LITHUANIA
TYPIS S. R. M. PENES ACADEMIAM.



ILLUSTRISSIMO

VIRO

JOSEPHO LANGMAJER

PHILOSOPH: ET MED: DOCTORI,

IN

ALMA ACADEMIA ET UNIVERSITATE VILNENSI

MEDICINÆ PROFESSORI PRIMARIO &c &c.

PRÆCEPTORI & FAUTORI SUO

HOC SPECIMEN INAUGURALE

IN

gratissimæ mentis pro collatis in se beneficiis tesseras

SACRUM ESSE VOLUIT

AUTOR

ESAI. JACOBUS FRANK.

Medyc. 1827

PRÆFATIO

Quisque causam proximam febris intermittentis indagaturus, permagnum sane suscipit negotium, uti unicuique artis medicæ non prorsus ignaro, satis superque notum est. Absonum ergo videri possit, me Tyronem prodire in campum, quem tot premunt maximæ famæ viri.

Sed verus quisque medicus, rerum pretia non auctoritate, sed veritate æstimans, negare nequit, hanc materiem, non omnibus numeris hucusque absolutam esse. Multa quidem dicta, sed plurima adhuc dicenda, hiatus explendi, imo quamplurimi expungendi errores.

Congerendo enim comparandoque omnia Viris omnium gentium ætatumque celeberrimis, hac super re dicta, facile adparet, plu-

rimos Hypothesi præconceptæ additos, eaque obcæcatos, plus minusve a veritate aberrasse.

Hinc etiamsi multum absit, ut me tanti operis capacem crederem; dubia tamen mea timidamque opinionem, de febris causa proxima, tibi amice lector! exponere liceat: ut me si nubem Junonis loco amplector, in rectam deducas viam; si vero suffragium tuum mihi non omnino defuerit, me tua benevolentia non indignum habeas; tuusque erga me augeatur favor, omni auro mihi carior.





§. I.

Veteres Græci, calorem febrilem pro vera febris essentia habentes, morbum, ducto nomine a principali ejus symptomate, Pyrexian seu Pyreton a πυρ (ignis) dixerunt. Latini eodem quo Græci nomine illum designantes, febrem a fervore vocaverunt. Cum vero hodie, deposita illa opinione veterum, quod nempe a calore omnis incipiat febris, nullus hujus ætatis medicus, definitionem Galeni, quod nempe febris esset calor e corde in omne corpus effusus, pro vera habeat, sed omnes inter se conveniant, a frigore omnia reliqua febris symptomata originem suam ducere; cur jam mutata morbi idea, mutatum non fuit etiam ejus nomen, ut intellectui morbi magis respondeat, & omnis evitaretur confusio? Nonne senex decrepitus quartanarius, cujus effeta natura, a frigore febrili supera-

tur, dicitur febre enectus esse? Cum tamen stricte loquendo, e contra ex defectu febris, id est, defectu caloris mortuus sit.

Dolendum sane, quod nemo audeat corrigere varias variorum morborum denominationes, quæ veterum de illis erroneæ opinioni originem suam debent, quamvis hodie uno omnium ore pro impropriis declaratæ sint. Vix impune enim id negatur, quod remotissima credidit vetustas.

II.

Febrem esse morbum, esse vero etiam sæpissime sanationis alius morbi causam, a multis tum veterum tum recentiorum judicatur Medicis. Quamquam jam cum Cel: Sydenhamo credam, febrem esse instrumentum naturæ, impura a puris secernendi. — Nemo enim salutares ejus effectus in plurimis morbis non observat. — Sed illam tam sæpe, uti vulgo creditur, sanare convulsionem, Epilepsiam atque apoplexiam, minime persuasum habeo. Ex observationibus enim passim ad confirmationem hujus opinionis allatis, febrem semper causam sanationis esse, mihi haud satis liquet, sed videtur potius esse signum im-

minutionis morbi causæ, id est, effectus sanationis incipientis, quæ simul cum febre ex alia quadam fluit causa. Sic e. g. ex Hippocrate dicente (aphorism: 5. sect: V.) „ si quis ebrius de repente obmutescat, convulsus moritur, nisi eum febris corripuerit „ concludit ill: van Swieten febrem sanare convulsionem. Sed cum omnibus notum sit, crapulam majori gradu convulsionem, minori vero febrem producere posse; ego quidem verba illa Hippocratica ita explicuerim: dum ebrius a febre corripitur, concludere possum, causam non esse ita validam, ut producere valeat convulsionem.

Febris ergo hic minime morbum solvit sed causa corpori inimica, majus ei inferre non potens damnum, saltem minore, febre scilicet, illum afficit. Sic enim explicando reliqua ibidem dicta, melius intelliguntur. Dicit enim porro : „ aut qua hora crapula solvitur vocem edat „ id est, sicuti febris ita etiam vox boni est ominis. Juxta illam vero explicationem, dicere deberes, sic uti febris ita etiam vox sanat convulsionem, quo tamen nihil absurdius.

Sic etiam idem Hippocrates alibi habet.

(aphorifm: 26. fect: 2.) „ Præftat febris convulfioni fuccedens, quam convulfio febri „ Prior nempe cafus, caufam morbi imminutam, alter vero auctam defignat. Eadem ratione quamquam inficias ire non poffum, epilepfiam fuccedenti febri fæpe cedere, quod vero id virtute febris femper fiat, videtur mihi jure merito in dubium vocari poffe. Imo ratio & experientia huic repugnare videntur. Corticem enim Peruvianum fanare febrem, fugare etiam haud raro epilepfiam quotidiana docet Praxis. Oportet ergo vim corticis vi febris oppofitam effe; quomodo jam intelliges, ut caufis fibi e diametro oppofitis, cortice nempe & febre, unus idemque producatur effectus, fanatio epilepfiæ?

Unde credo, magnam quidem inter epilepfiam & febrem obtinere affinitatem, adeo ut facili negotio fibi per vices fuccedant; fed febrem femper, ubi epilepfiæ fuccedit, caufa ejus fanationis effe, ut credam adduci omnino non poffum. Jdemque valet de apoplexia. Sic obfervavit laudatus Sydenhamus in quadam epidemica febrium intermittentium conftitutione, quod primus ingruentis febris Paroxyfmus, fub larva apoplexiæ lateret. Primo nempe initio caufa morbofa omnibus

viribus ita graviter imparatum adgrediebatur corpus, ut omnes ejus functiones pro tempore penitus oppreſſiſſet, atque ſpeciem apoplexiæ induceret; donec vis naturæ excitata, illi obviam eundo, vireſque ejus imminuendo, morbum apoplecticum in febrem mutaret.

§. III.

Nunc jam ex ordine enarranda foret tota omnium ſymptomatum febrem comitantium congeries. Cum vero illa ad tædium uſque in omnibus repetantur Autoribus; hinc ne aureum teratur tempus, his omnibus omisſis, ad cauſam proximam explicandam tranſeo.

Conſiderando omnes cauſas occaſionales ſive excitantes, quæ cum cauſa prædiſponente junctæ, proximam morbi cauſam efficiunt, facile adparet, quod illæ irritando agant. Sic e. g. frigoris atmoſphærici, acriorum ingeſtorum vel externe adplicatorum actio, difficile explicabitur, niſi habita ratione ad irritationem, qua corpus afficiunt. Eaque omnia primum locum inter cauſas occaſionales febris obtinent.

Ex omnibus vero ſymptomatibus, illam

caufam proximam in actum deductam confequentibus, evidenter liquet, illud irritamentum vires fuas imprimis in potentiis moventibus, in fibris nempe mufcularibus exferere, unde illa laffitudo, debilitas, torpor, difficultas motus voluntarios excercendi fimiliaque primo febris initio fefe manifeftantia. Cum jam irritatio maximas hic agat partes, hunc qui illam bene explicaverit, modumque ejus agendi verifimilitudine expofuerit, ita ut omnia fymptomata ipfaque febris ex illa fluere, atque illi unicæ originem debere, perfpicue exhibuerit; quamvis non omnia abfolviffe, attamen multum ad febrem dilucidandam contuliffe, nemo inficias ibit. Hinc ejus facere periculum, operæ pretium duco, ut videam quantum in meis fitum fit viribus.

§. IV.

Ex experimentis a Wepfero, Hallero aliisque maximis in arte viris inftitutis conftat: irritando mechanice chemiceve nervum quemcunque ad mufculum quendam tendentem, mufculum ftatim contremifcere. Ligato vero nervo inter locum ftimulandum & mufculum, nulla adparet in mufculo mutatio. Unde mox laudatus Hallerus concludit: irri-

tabilitatem fibrarum musculariu m, illis quidem propriam atque innatam esse, sed egere illius nervosi influxu — sive id æthereæ, sive spirituosæ aut alius cujuscunque sit naturæ — ut in actum deducatur.

Sed illa contractio musculi, aucto influxui succedens, facile explicari potest, expansione nervulorum quaquaversum in musculo dispersorum; vel potius expansione totius musculi, cujus fibrillæ ultimæ ex ipsis fibris nervosis constant. (vid: institut: med: Bœrhaav: §. 395.)

Hoc jam posito facile perspicitur, quomodo fiat ut quovis irritante ubicunque in corpore, sive in primis viis, sive in humoribus vel denique in ipso cerebro hærente, spasmoticæ excitarentur contractiones.

Dum vero influxus liquidi nervosi in quadam corporis parte augetur, expanduntur que musculi, necessario sequitur, ut vasa sanguifera comprimantur, atque sanguinis circulatio in illa parte impediatur; quod eo vel magis fit, cum ipsi canales sanguinem ducentes, pro maxima parte ex fibris muscularibus vel meris nervosis conflati sint; quo fit ut canales ipsi,

aucto illo influxu tumeſcentes, propriam Diametron coarctent, transfluendoque ſanguini portas occlaudant. Hinc omnia illa ſymptomata §. 3. recenſita, quæque circulationem inexpeditam ſequi nemini ignotum; hinc pallor faciei totiuſque corporis ſuperficiei, abſente enim ſanguine abeſt etiam ejus color; hinc diminutio totius corporis ambitus, dum interim papillæ nerveæ elevatæ, id efficiunt, quod Germanicè dicunt (die Gänſehaut) hinc denique horripilatio & frigus. Calor enim corporis humani dependet uti notum, a motu circulatorio (*) id eſt ab actione reciproca ſanguinis in vaſa, vaſorumque in ſanguinem. Quamprimum ergo illa imminuta, ſtatim etiam imminuitur calor, oritur frigus, verbo, hinc ſtadium primum febris.

Cum vero benignitate adorandi creatoris ſic facti ſimus, ut omne œconomiæ animali noſtræ inimicum, quod illi inſidias ſtruit, non tantum ſuum excitet adverſarium, ſed etiam illi miniſtraret arma quibus vincitur — id quod in ſcholis vim medicatricem & conſer-

---

(*) Etiamſi enim cum recentioribus dicere velis: calorem corporis oriri a phlogiſto, quod per ignem elementarem ore inſpiratum extricatur; ipſa tamen illa extricatio ope attritus vaſorum fit.

vatricem naturæ vocant — ſic etiam hic ab ipſa febris primaria cauſa excitatur altera illam tollens. Ipſo nempe frigore excitatur calor; qui ergo potius pro naturæ molimine morbum vincendi, quam pars morbi habendus eſt.

§. V.

Sed illa vis medicatrix, cum ex corporis fabrica naturali, id eſt, ex actionibus ejus ſimul ſumptis fluat; non vero unicæ animæ ſeparatim a corpore debetur, uti multi non parvo generis humani damno ſomniaverunt; adeoque etiam ex conſideratione illarum actionum, quantum fieri poteſt, explicari debet.

Loquendo §. 5. de ſpaſmotica conſtrictione diximus: quod expanſis aucto influxu liquidi nervoſi muſculis, comprimerentur vaſa ſanguifera ſuperficiaria, adeo ut circulatio in illis impediatur. Notandum tamen hoc tantum fieri poſſe, in diſſitis a corde partibus, ſcilicet in externa ſuperficie corporis, ubi circulatio debiliſſima, vaſaque minimæ diametri cuilibet cedunt vi, ita ut facili negotio comprimantur; in interioribus vero, in vaſis cordi propprioribus, quamvis coarctatio vaſorum etiam hic

aliquomodo locum habeat — cum enim vaſa majora æque ac minora ex fibris muſcularibus maxima parte compoſita ſint, ergo ſicuti in his etiam in illis augetur influxus — attamen in vaſis magnis non tantum circulatio non imminuitur, ſed potius augetur. Primo cum circuitus ſanguinis minoribus circumſcriptus ſit cancellis, dum per vaſa ſubcutanea nihil perfluere poteſt, uti vidimus; cor majorem ſanguinis copiam in ſuis ventriculis excipere coactum, plus ſolito irritatur, atque majore vi expellit liquidum in ſuis cavis contentum in vaſa.

2. Ipſa nimia coarctatione vaſorum majorum, ab aucto influxu nervoſo orta, augetur reactio vaſorum in liquidum impulſum. Vaſa ergo illæ auctæ expellenti cordis vi, auctam opponunt vim contractivam. Unde attritus liquidorum ſolidorumque maximus, & conſequenter maximus oritur calor, quo magis magiſque aucto, ſolvitur denique ſpaſmus, atque frigus ejus effectus.

Id quod eo vel magis fit, dum certiſſima docent obſervata: irritabilitatem fibrarum muſcularium, deficiente ſanguinis influxu, plus minuſue imminui. Sed ab illa irritabilitate

dependet vis contractiva harum fibrarum, imminuta jam irritabilitate minuitur contractio, & quod idem est solvitur spasmus.

Ex hisce ergo patet, quomodo a frigore producatur calor, qui tamen, uti jam supra innuimus, non uti pars morbi, sed potius uti reactio, vel molimen naturæ actioni morbi oppositum considerari debet. Hoc enim calore solvitur spasmus; spasmum solutum sequitur sudor, qui a motu circulatorio aucto, ut causa nascitur, quique toti febris intermittentis Paroxysmo finem imponit.

§. VI.

Sic omissis omnibus symptomatibus illis, febrem quidem hinc inde comitantibus, attamen illi minus essentialibus, exploravimus illa quæ verum febris characterem efficiunt, ita ut sine illis febris non possit vocari (vid: aphorism: Bærhav §. 561, 563.) Illa vero omnium optime febris intermittens exhibet. Hinc cum negato tempore hic de differentia variarum febrium sermo esse non possit, febrem intermittentem ceu basin & fundamentum omnium reliquorum ad Exemplum adsumpsi.

Hisce tamen omnibus bene perspectis, unus

duntaxat ittelligitur Paroxyſmus; ſed renovatio ejus poſt aliquod tempus intermiſſionis, illud Phœnomenon ex Pandoræ pyxide cruciandis medicis elapſum, nobis adhuc explicandum reſtat. Ultro equidem confiteor, me haud ſine timiditate rem tanti diſcriminis adgredi; ſed ne opus inceptum imperfectum relinquam, etiam de hac renovatione aliqua dicenda ſunt.

§. VII.

Ad morbum quemcunque efficiendum requiritur, uti notum; primo cauſa prœgumena vel prædiſponens; ſecundo cauſa procatarctica ſive occaſionalis ſive excitans, quæ ambæ ſimul ſumptæ, faciunt cauſam proximam, id eſt, ipſum morbum. Corpus ergo ſemper prædiſpoſitum eſſe debet, ut aptum ſit cum cauſa accidente efficere morbum. Illa jam prædiſpoſitio tam in varia humorum craſi, quam in varia ſolidorum conſiſtit indole. Diu vero illa in corpore latere poteſt, quin aliquem producat morbum, niſi cauſa aliqua accidente in actum ducatur; ſic uti etiam cauſa occaſionalis nullum prodit effectum, deficiente cauſa prædiſponente.

Hoc jam præmiſſo, non difficile erit intel-

lectu, quomodo fieri possit, ut ab ipsa illa medicatrice naturæ vi, cujus ope excitabatur calor, ad frigus & spasmum solvendum, simul ita mutaretur illa prædispositio corporis, ut quamvis illa causa excitans, influxum liquidi nervosi augens adhuc in corpore remaneat, attamen mutata illa prædispositione necessario ad febrem efficiendam requisita, illam inactuosam evadere oportet. Aucta enim circulatione mutatur humorum crasis, solidorumque conditio; quibus mutatis mutari etiam prædispositio in illis consistens oportet, atque illa mutata, causa excitans omnem suam amittit activitatem, unde febris post aliquod tempus quiescit.

Circulatio aucta ergo agit hic in febre sicuti opium in omnibus doloribus, tollit nempe dolores, non tollendo causam illos creantem, sed privando nervos facultáte eos sentiendi. Cum vero cessante Opii actione, soporatus recrudescat dolor, ita etiam restituto inter fluidorum impetum & solidorum resistentiam æquilibrio, motuque circulatorio iterum sedato, adeo ut omnia pristinum denuo acquisiverint statum, pristina redit prædispositio, dormiensque hucusque causa occasionalis

reviviſcit, atque recuperata prima ſua activitate, Paroxyſmum ab ovo renovat.

Sed calor varius eſt, pro vario progreſſo frigore, a quo dependet uti effectus a ſua cauſa; quo major vero calor, eo auctior motus circulatorius, eoque ſerius redit motus æquabilis in omnibus corporis locis, igiturque eo ſerius ducitur illa cauſa excitans in actum. Unde denique fit quod intervalla diverſarum febrium diverſa ſint; ita ut habeamus febrem quotidianam, tertianam, quartanam. Poſteriori nempe cui maximum omnium eſt frigus, maximum etiam eſt intervallum.

Hac ratione explicaverim illam perobſcuram de febris renovatione quæſtionem. Nunc jam videamus, an Praxis quotidiana experientia comprobata, noſtræ quadret ſententiæ.

§. VIII.

Curatio febris communiter optimo ſucceſſu perficitur, ſi purgatis purgandis, reſolutiſque reſolvendis, cortex exhibetur peruvianus. Cujus vis in febre intermittente hodie quidem extra omne poſitum eſt dubium; ſed de modo ejus agendi hucuſque minus certi ſumus. Quæritur nempe primo: qui fiat ut cortex abſque ulla evacuatione ſenſibili ſanet febrem?

2. Cur febris ejus usu jam fugata sæpe post aliquod tempus, absque nova accedente causa, subito inopinante atque optime se habente ægro recrudescat?

3. Cur sæpe incassum nulloque successu adhibeatur?

4. Quare ejus usum teterrima sæpius sequerentur mala, uti in historia medica satis superque patet?

Quibus tamen omnibus optime, uti mihi videtur sequentibus occurritur. Primo credo febrifugam corticis vim efficaciam suam in prædisponentem duntaxat causam exserere. Causam vero excitantem intactam relinquit; quæ tamen deficiente causa prædisponente inactuosa evadit, id quod sine sensibili evacuatione fieri posse facile intelligitur. Illud tamen stimulans adhuc in corpore hærens, ipsa corporis perpetua actione paulatim subigitur expelliturque e corpore.

Secundo: illam prædispositionem quamvis vi corticis jam mutatam, habere tamen pro aliquo tempore proclivitatem recidendi, exinde facile recidiva corripiuntur ægri nisi usus corticis continuaretur, donec causa excitans

propria corporis actione ſubacta ſit, quo facto reditus prædiſpoſitionis minus metuendus, cum ſola, nihil efficere poſſit, uti vidimus. Attamen oportet, ut omnem novam cauſam occaſionalem evitent ægri, ne febris recrudeſcat. Unde optime monuit Celſus: „ ſi febris quieverit, diu meminiſſe ejus diei, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem laſſitudinemque. „

Tertio cum morbus ſuo ſe marte proterat, illa nempe vi medicatrice, hinc nunquam naturæ antevertendum, nec turbandum ejus opus corpori ſemper ſaluberrimum. Vis enim corticis ipſa videtur egere præparatione illius auxiliatricis, qua impedita cortex non tantum inefficax, ſed probabiliter etiam noxius evadit. Quo patet corticem nunquam ſtatim a febris initio, nec durante Paroxyſmo adhibendum eſſe. Neglecta enim hac cautela, præproperoque corticis uſu fit, ut ſæpe cum ægri tum medici fallat ſpem, imo ſalutis loco maxima inducat damna.

Hac ergo ratione febris per corticem peruvianum curatio optime, ni omnia me fallunt, intelligitur. Pari modo facile eſt intellectu, quomodo fiat, ut ſæpe febris unico emetico aut purgante ſolvatur. Si nempe illud irritans, occaſionalis febris cauſa, in primis viis hæret; quo emeſis aut cathartici ope expulſo, prædiſpoſitio ſola remanet ſtatimque ſilet febris.



§. IX.

Habes ſic L. B. meam de febris cauſa proxima conjectionem, an bona malave tuo ſubijcio judicio. Ne cenſeas tamen, quod alicui perſuadere ſuſcipiam, neminem ante me ea offendiſſe, abſit! ingenue candideque potius fateor, me ejus ideam ex aliis tum veteribus tum recentioribus hauſiſſe; mihique nihil deberi, niſi forte illa in aliqua parte illuſtrasſe, quæ jam dudum ab aliis dicta ſunt. Sic e. g. meam opinionem comparando, cum illa Van Swieteni — illius egregii viri qui reſpectu Pyretologiæ non Commentatoris ſed Reformatoris totius ſyſtematis Brœhaaviani meretur Nomen (*) — invenies illum fere eadem de febre cogitaſſe, meque vix ac ne vix quidem ab illo deflectere. Eademque valent de plurimis reliquis. Varia enim variis auctoribus hac ſuper re dicta non adeo diverſa ſunt, uti primo intuitu quidem videntur; quin potius rem penitius examinando adpareat, in rei ſumma fere nullum eſſe diſcrimen, omneſque inter ſe convenire. Sic e.g. doctiſſimus ſagaciſſimuſque Cullen, maxime a lauda-

(*) Illo enim explicante lentorem a Bœrhaavio pro cauſa proxima febris habitum, tum ad vaſa tum ad liquida, (vid: Comment: in aphoriſm: Bœrhaav: Tom: 2. p. 526.) bene reſpondetur illi interroganti: „ quomodo juxta Bœrhaavium fieri poſſitut tam ſubito ille lentor in ſanguine naſcatur, cum tamen momento ante febrem ingreſſuram, nihil in illo obſervaretur vitiati? „ Sed juxta illam explicationem Swieteni, lentor non ex ſolis humoribus, ſed etiam ex inertia liquidi nervoſi oritur; quo in liquido ſubitiſſimas fieri mutationes nemo negabit. Sicque plurimas reiicit objectiones Cel: Commentator.

to Swieteno diſſentire videtur; ſed examine accuratius inſtituto adparebit: Energiam cerebri debilitatam, quæ juxta illum cujuſvis febris primaria atque productiva cauſa eſt, nihil aliud eſſe, niſi inertiam liquidi nervoſi Bœrhaavii, eandem rem vario tantum uterque deſcribit nomine.

Neque putes velim, mihi hanc febris Theoriam ſatisfacere: e contra perſuaſum mihi habeo, plurima adhuc eſſe dubia. Nemo enim neſcit, quod maximi ingenioſiſſimique viri, tenebras quibus febris Natura ſcatet, hucuſque minime perfecte abſoluteque diſcuſſerint, nec ea forte unquam plane dilucidata erit. Humano enim etiam perſpicaciſſimo ingenio, certi poſiti ſunt limites, quos nunquam tranſgredi poteſt.

Nec tamen eſt cui ab ulteriori indagine deterreatur ſcrutator. Quiſvis enim non præoccupato animo, cæcaque fide ingreditur explorationis viam, nec ſyſtemati cuidam nimis indulget, ſed præſcriptam, ab experientia ratioque perſequitur viam; atque quovis facto gradu, caute timideque circumſpicit an veritas an Natura patiatur; omniaque ſevero eorum ſubiicit judicio, iſte inquam, ſane examinando propius ad veritatem accedet; multa dubia diſſipabit, multa recondita enucleabit, multa obſcura in apricum ponet, itaque multum ad Artis ſalutaris incrementum, in univerſæ humanitatis uſum conferet, grataque omnium ſæculorum illum recolet Poſteritas.

